



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1708

§. 11. An solennitates juris necessariæ sint in cessione juris, vel rerum Ecclesiasticarum permutationibus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

Ecclesie necessitas, vel utilitas) tunc existat, cum alienatio fit; ac id debent constare, cum de alienatione facienda Capitulariter tractatur, ut Capitulares licite in eam consentiant.

1232 Deducitur 3. jura, quae alienationem rerum Ecclesiasticarum prohibent, intelligi solum de illa, quae continet translationem domini directi, vel utilis in alium; hinc probabilius est, sub alienatione prohibita non venire consumptionem, vel transmutationem unius rei in aliam. Unde licitum est beneficiato ex calice vetusto, Ecclesiaeque non necessario, crucem necessariam fabricare; ex oliveo antiquo, & ferè inutili, vineam facere; quia non est alienatio, sed optima bonorum Ecclesiae administratio. & ita colligitur ex Navarro l. 3. Consil. conf. 6. Rodriguez. tom. 1. qq. regul. q. 27. art. 4.

1233 Deducitur 4. solennitates, à jure statutas, solum desiderari in alienationibus rerum immobilium, & mobilium pretiosarum, quae servando servari possunt, constat ex juribus alienationem prohibentibus jam allatis in principio à n. 1157. Quare pro alienatione rerum mobilium, quae servando servari non possunt, nulla opus est juris solennitate, ut habetur c. Nulli, h. t. Clem. 1. eod. Extravag. Ambrosiana, de qua supra. Idem est de rebus modicis, & Ecclesiae parum utilibus. arg. c. Terrulas. 12. q. 5. Quae porro res dicantur modicae, ac Ecclesiae parum utiles? Quaranta, Barbosa, Riccius, & alii apud Castropalaun de Reverentia debita Eccles. d. unic. p. 15. n. 8. censent, relinquendum arbitrio prudentis, considerato tempore, ac loci consuetudine. Bonacina vero ibidem censet, quae valorem 10. aureorum non excedunt, modicas reputandas esse.

1234 Ex hoc deducitur 5. Eum, cui integra rerum Ecclesiae administratio commissa est, posse donare, vel alio modo alienare illa, pro quibus n. 1233. diximus non requiri solennitates juris, si ei visum fuerit, fore utile Ecclesiae, vel aliis piis operibus, sic Glossa in c. Nulli. V. immobilium; ac Panormit. ibid. n. 8. & alii; quod etiam intelligitur de rebus modicis, & Ecclesiae parum utilibus;

Tem. III.

Sic Castropal. cit. d. unic. p. 15. §. 2. n. 8; quia praesumi potest, quod Ecclesia non velit administratorem rerum Ecclesiasticarum ita rigidè tractare; sic Molina cit. d. 468. vers. licet praedicta solennitates; Aloysius Riccius in praxi fori Ecclesiastici, decis. 39. in prima edit. & resolutione 306. in 2. edition. Mascardus de Probat. conclus. 277. n. 12. Quaranta in Summa Bullar. V. alienatio n. 41. Sed not. dicta procedere, de rebus modicis, parum Ecclesiae necessariis, ac ex fine pii operis, seu virtutis, bonum Ecclesiae spectantis; quae omnia spectant eum finem, qui petit ejusmodi largitiones fieri ex fine virtutis, boni Ecclesiae, proportionaliter ad finem, non prodigè, non inconsideratè, non amore privati commodi, non sine politico politicae pravæ.

§. II.

An solennitates juris necessariae sint in cessione juris, vel rerum Ecclesiasticarum permutationibus?

1235 IN hac quaestione considerari potest vel jus acquirendum, vel jam acquisitum in re cedenda, vel permutanda. Pro resolut. not. 1. quaestionem non procedere de cessione, vel permutatione jure naturali, vel divino; sed tantum Ecclesiastico prohibita, juribus haecenus allatis; 2. alienationem dictis juribus prohibitam etiam latè sumptam, non venire sub prohibitione illorum, nisi translative alicujus juris in alterum, quod prius Ecclesiae competeat, sive sit domini pleni, seu perfecti; sive solum imperfecti, quale est dominium solum utile, &c. 3. sermonem esse solum de rebus immobilibus, aut mobilibus pretiosis, & servando servari aptis, prout ex haecenus dictis colligi potest; quibus positis:

1236 1. Res Ecclesiae, ab eod. jam possessas, vel sub ejusdem dominio jam constitutas (in quibus scilicet jam habet jus acquisitum) sine dictis solennitatibus alienari non posse; secus, si sit res, in qua

qua Ecclesia nondum habet jus *acquisitum*, sed tantum *acquirendum*; ratio est, quia in primo casu alienatur jus acquisitum; in secundo autem non; quia ubi solum spes est, *acquisitum iri*; non autem jus actu acquisitum est, non fit alienatione; prout cadit sub ea jura prohibitoria; sic Quaranta sum. Bullar. V. *alienatio* n. 20. & 43. limitat. 12. Barbosa 3. p. de potest. Episc. alleg. 95. n. 63. Bonacina Disp. 3. q. 8. p. 4. n. 20. Hinc fit, quod sine juris solemnitatibus Prælati Ecclesiæ non possit super hujusmodi rebus transigere, remittere, vel etiam amicablem componere, ubi aliquid cedendum foret de rebus ab Ecclesia possessis; secus est, si cedat, renuntiet, vel non acceptet legatum Ecclesiæ, vel Monasterio factum, vel emphyteutæ remittat solutionem canonis, seu pensionis, cujus intermissione induceretur caducitas; nam talis remissio, non foret remissio; ab Ecclesia jam possessæ, vel sub ejusdem dominio jam absolute constitutæ; sed tantum constituendæ; Sic P. Ferdinandus Rebellus de obligat. Justit. l. 13. q. 11. n. 7. Jul. Clarus. §. *Emphyteusis*. q. 10. Sanchez l. 6. Matr. d. 4. n. 13. & complures alii.

1237 Cum autem *permutatio* veniat sub nomine *alienationis* in hac materia, ut notavimus n. 1156. quâ ratione alienatio, eadem & *permutatio* secundum substratam materiam exigit observari solemnitates juris; difficultas est, si *permutatio* fiat inter Ecclesias (v. g. an, cum Ecclesia una rem suam *permutat* non cum aliquo seculari, sed cum alia Ecclesia) an saltem isto casu *permutatio* fieri possit sine juris solemnitate? Negativam sequitur Quaranta in sum. Bullar. V. *alienatio*. n. 15. Bonacin. d. 3. de contract. ubi de feudo q. 8. p. 4. n. 20. versic. *Ex quo patet*. Moventur; quia in c. *Casellas*. 10. q. 2. & clarius in c. *Sine exceptione* 12. q. 2. & c. 1. de his, quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli, & in Extravag. *Ambitiosa*, eodem modo prohibetur *permutatio*, ac prohibetur *venditio*, & *donatio*; Sed apud omnes constat *venditionem*, & *donationem* rerum unius Ecclesiæ celebrari non posse cum altera absque prædicta solemnitate; ergo neque *permutationem*.

Affirmativam tenet Riccio in praxi 1238 rerum fori Ecclesiastici decif. 74. n. 1. Barbof. p. 3. de offic. & potest. Episcopi. alleg. 95. n. 55. Probant ex eo, quod in *permutationibus* his Ecclesiasticis omnino cesset ratio prohibitionis alienandi res Ecclesiæ, quæ est, ne res Ecclesiæ ab Ecclesia exeant, & prophanis usibus applicentur; quod satis constat ex præmio Extravag. *Ambitiosa*. ibi: *prophanis usibus applicare, aut cum maximo illarum, aut divini cultus detrimento exquisitis mediis usurpare præsumunt*; quæ verba, cum sint præmialia, causam finalem dispositionis indicant. L. fin. & ibi Panormit. n. 3. ff. de hæredib. instituend. at ex his *permutationibus* res Ecclesiastica terminos Ecclesiæ non transgreditur, neque prophanis usibus applicatur, sed eodem modo Ecclesiastica manet, ac antea: Ergo adversus hanc *permutationem* non procedit lex prohibens; si quidem solum præsumi debet extendi ad ea, ad quæ extenditur finis in prohibitione intentus: juxta textum in c. *Cum cessante*. de Appellatione.

Ad hujus quæstionis resolutionem recolendus est textus in c. *Ea enim* §. *sibi invicem*. 10. q. 2. ibi: *sibi invicem recte permutant cum utriusque indemnitate*; 2. textus in c. 1. de rebus Eccles. non alien. ibi: non licet Episcopo, vel Abbati terram unius Ecclesiæ vertere ad aliam, quamvis ambae in ejus sint potestate; *tamen si commutare voluerit terras earum, cum consensu ambarum partium, faciat*. Alium textum allegat Castropalaus cit. p. 15. n. 7. ex Clem. 3. de rerum permut. quo dicitur, ejusmodi *permutationes* possessionum per se non esse illicitas. Ex dictis porro juribus dictus author concludit, spectato juris rigore inter ipsas Ecclesias fieri posse *permutationes* rerum Ecclesiasticarum cum consensu Prælati, sine aliis solemnitatibus juris; de consuetudine tamen etiam in hoc casu omnes æque intervenire oportere; notat ex Riccio, & Barbof. cit. sed huic videretur solum ibi locus, ubi ea consuetudo legitime inducta est. Nec obstant fundamenta sententiæ negantis; ea enim procedunt de alienationibus, ac etiam *permutationibus* jure non exceptis; ast

est permutatio *inter Ecclesias* est jure excepta per allatos canones. Ratio vero, qua utuntur affirmantes (de quibus in n. præced.) nimis multum probat; nam ex illa sequitur, etiam licitas esse venditiones rerum Ecclesiasticarum, si fiant ab una Ecclesia alteri Ecclesiæ; quod tamen non admittitur, nec admitti potest etiam vi Extravag. *Ambrosiose*.

§. 12.

An in concessione feudi, vel Emphyteusis Ecclesiastica, servanda sint juris solemnitates?

1240 **EX** juribus allatis à n. 1157. inter alienationes, prohibitas fieri sine juris solemnitate, venit etiam omnis alienatio, quâ in alterum transfertur solum jus utile, extra casus in jure permisos; at concessio rei Ecclesiasticæ in feudum, vel emphyteusim, est alienatio, quâ in vasallum vel emphyteutam transfertur jus utile: ergo & hæc venit inter alienationes, fieri prohibitas sine juris solemnitate, extra casus jure permisos: at inter casus jure permisos solum est ea concessio, qua res Ecclesiastica in feudum, vel emphyteusim *dari solita*, rursus *similiter* conceditur: ergo extra istum casum omnis concessio rei Ecclesiasticæ, in feudum, vel emphyteusim, prohibita est sine juris solemnitate.

1241 Ex hoc sequitur rem *ante concedi solitam* in feudum, vel emphyteusim, posse sine alia solemnitate juris, denuo concedi in feudum, vâ emphyteusim; non autem si primo concederetur id, quod prius sic concessum non erat; ratio hujus est; quia continuatio concessionis est inter casus jure permisos; non autem prima concessio, ut constat ex præced. n. quâ fit, rem Ecclesiasticam, prius alicui concessam in feudum, vel emphyteusim, ubi casus contigerit, quod demortuo Vasallo, vel emphyteuta, ex vi primæ concessionis alius vocatur in successionem, ubi hic investituram periverit, sine alia juris solemnitate in alienationibus cæteroquin requisi-

Tom. 111.

ta, posse illi concedi eandem etiam in perpetuum, etiam transitorie ad hæredes extraneos modo illa res, antequam fiat hæc concessio, non sit Ecclesiæ rursus *incorporata*; ratio est; quia talis concessio antiqui feudi, vel emphyteusis, est tantum continuatio concessionis solemniter factæ; at pro tali continuatione non postularur solemnitas juris, cum, ut ostendimus, sit jure permissa; & ita tradunt Quaranta in Summa Bullar. V. *alienatio rerum Ecclesiæ*. n. 39. & 40. Menoch. de arbitr. casu 81. à n. 5. & conf. 66. n. 31. & conf. 79. n. 1. & seqq. Molina D. 469. conclus. 5. & alii.

Dixi: modo res illa, antequam fiat hæc concessio, non sit Ecclesiæ rursus *incorporata*; quæ incorporatio fieri censetur, quando finita priori emphyteusi administratores Ecclesiæ semel decernunt, eam non alienare; ut notat Haunold. tom. 1. de just. tr. 4. n. 115. qui n. seq. ad quest. *an emphyteusis possit concedi solum ad vitam accipientis, vel in perpetuum, etiam pro hæredibus?* respondet affirmativè; quia emphyteusis jure Ecclesiastico non prohibetur, si serventur solemnitates, quibus observatis, quamlibet permittit, quod ipsum habetur in novella 120. c. 6. Nec obstat novella authentica, de non alienand. §. *emphyteusim*, concedens eam solum *ad vitam accipientis*; nam contrarium habetur in Novell. cit. 160. & illa intelligitur de concessione solum *novi*; non autem feudi, vel emphyteusis *antiquæ*, pro qua clarum jus habetur in sacris canonibus, quibus in hac materia standum est, de feudo, & emphyteusi *Ecclesiastica*, ut apertè habetur in c. *Cum Laicis* 12. h. t. in fin.

Dixi præterea ad *continuationem* concessionis rei Ecclesiasticæ in feudum, vel emphyteusim, *supradictas juris conditiones* non esse de necessitate secundas; secus in concessione *nova*; solum difficultas est, quid requiratur, ut talis concessio non dicatur concessio *nova*, sed potius *antiquæ continuationis*? Ad hoc tres communiter conditiones requirunt Doctores; 1. est, ne concedatur alio modo, quam ante; Sic Julius Clarus §. *Feudum*; 2. ut ad sit evidens necessitas, vel utilitas Ecclesiæ,

002

6078